

XI. « Dominus virtutem populo suo dabit¹. » Quia Dominus virtutem populo suo contra hujus mundi procellas et turbines dimicanti dabit, quia pacem illis in hoc mundo non promisit. « Dominus benedicet populum suum in » pace. » Et idem Dominus benedicet populum suum, in se ipso illi pacem præstans : quoniam, inquit, « Pacem » meam do vobis, pacem meam relinquo vobis². »

ENARRATIO I

IN PSALMUM XXIX.

In finem Psalmus Cantici dedicationis domus, ipsi David¹.

I. In finem Psalmus lætitiæ resurrectionis atque in immortalem statum mutationis atque innovationis corporis, non tantum Domini, sed etiam totius Ecclesiæ. Nam in superiori Psalmo tabernaculum consummatum est, ubi habitamus belli tempore : nunc autem domus dedicatur, quæ in sempiterna pace permanebit.

II. Christus itaque totus loquitur : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me⁴. » Sublimitatem tuam laudabo, Domine, quoniam suscepisti me. « Nec jucundasti inimicos meos super me. » Nec eos qui toties variis per orbem persecutionibus me opprimere conati sunt, jucundasti super me.

III. « Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me⁵. » Domine Deus meus, clamavi ad te, et corpus mortalitate saucium et ægrum jam non gero.

¹ Psal. xxviii, 11. — ² Joan. xiv, 27. — ³ Psal. xxix, 1. — ⁴ Ibid. 2. — ⁵ Ibid. 3.

IV. « Domine, reduxisti ab inferis animam meam, sal- » vum fecisti me a descendentibus in lacum¹. » Salvum fecisti me a conditione profundæ cæcitatibus, atque infimi limi corruptibilis carnis.

V. « Psallite Domino sancti ejus. » Exultat Propheta futura ista cernens, et dicit : « Psallite Domino sancti ejus. Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus². » Et confitemini ei quod sanctitatis, qua vos sanctificavit, non est oblitus, cum totum hoc medium tempus desiderio vestro longum esset.

VI. « Quoniam ira in indignatione ejus. » Quoniam vindicavit in vos primum peccatum, quod morte solvistis. « Et vita in voluntate ejus³. » Et vitam æternam, ad quam redire nullis vestris viribus possetis, quia voluit dedit. « Vespere demorabitur fletus. » Vespere cœpit, ubi sapientiæ lumen recessit a peccante homine, quando morte damnatus est : ab ipso vespere moras habebit fletus, quandiu in laboribus et tentationibus populus Dei expectat diem Domini. « Et in matutinum exultatio. » Usque in matutinum, quo exultatio resurrectionis futura est, quæ in matutina Domini resurrectione præfloruit.

VII. « Ego autem dixi in abundantia mea : Non movebor in æternum⁴. » Ego autem ille populus, qui ab initio loquebar, dixi in mea abundantia, jam nullam patientis egestatem : « Non movebor in æternum. »

VIII. « Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo » virtutem⁵. » Sed hanc abundantiam, Domine, non ex me mihi esse, sed in voluntate tua præstitisse te decori meo virtutem ex eo didici : « Avertisti autem faciem tuam a me, » et factus sum conturbatus, » quod avertisti aliquando a peccante faciem tuam, et factus sum conturbatus, recedente a me illuminatione notitiæ tuæ.

¹ Psal. xxix, 4. — ² Ibid. 5. — ³ Ibid. 6. — ⁴ Ibid. 7. — ⁵ Ibid. 8.

IX. « Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum » deprecabor¹. » Quod tempus conturbationis et miseræ meæ recolens, et tanquam in eo constitutus, audio vocem primogeniti tui, capitis mei pro me morituri, et dicentis : « Ad te, Domine, clamabo, et ad Deum meum deprecabor. »

X. « Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in » corruptionem²? » Quæ utilitas in effusione sanguinis mei, dum descendo in corruptionem? » Numquid confitebitur tibi pulvis? » Si enim non statim resurrexero, corruptumque fuerit corpus meum : « Numquid confitebitur tibi pulvis, » id est, turba impiorum, quam mea resurrectione justificabo? « Aut annuntiabit veritatem » tuam³? » Aut annuntiabit ad salutem cæterorum veritatem tuam?

XI. « Audivit Dominus, et misertus est mihi, Dominus » factus est adjutor meus⁴. » Nec dedit sanctum suum videre corruptionem.

XII. « Convertisti planctum meum in gaudium mihi⁵. » Quem primogenitum a mortuis consecuta Ecclesia, nunc in dedicatione domus tuæ dico : « Convertisti planctum » meum in gaudium mihi. Conscidisti saccum meum, et » præcinxisti me lætitia⁶. » Conscidisti velamentum peccatorum meorum, tristitiam mortalitatis meæ; et cinxisti me stola prima, immortalis lætitia.

XIII. « Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar⁷. » Ut jam non plangat, sed cantet tibi, non humilitas, sed gloria mea, quia jam ex humilitate exaltasti me : et non compungar conscientia peccati, timore mortis, timore iudicii. « Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi. » Et hæc est gloria mea, Domine Deus meus, ut in æternum

¹ Psal. xxix, 9. — ² Ibid. 10. — ³ Ibid. — ⁴ Ibid. 11, et Id. xv, 10. — ⁵ Ibid. 12. — ⁶ Ibid. — ⁷ Ibid. 13.

confitear tibi, quod nihil mihi ex me, sed omnia bona ex te, qui es Deus omnia in omnibus¹.

ENARRATIO II².

IN EUMDEM PSALMUM XXIX.

I. Hoc certe cantavimus : « Exaltabo te, Domine, quoniam » niam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super » me³. » Si noverimus de Scripturis sanctis qui sint inimici nostri, cognoscimus hujus Cantici veritatem : si autem nos fallat carnis prudentia, ut non cognoscamus adversus quos nobis sit colluctatio⁴, in ipso Psalms hujus exordio invenimus quæstionem, quam solvere non possumus. Cujus enim putamus vocem esse laudantis Deum et gratias agentis et exultantis atque dicentis : « Exaltabo te, » Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos » meos super me? » Primo ipsum Dominum consideremus, qui secundum id quod homo esse dignatus est, potuit sibi per præcedentem prophetiam non incongrue verba ista coaptare. Ex quo enim homo, ex hoc et infirmus : ex quo infirmus, ex hoc et orans. Nam quod modo audivimus, cum Evangelium legeretur quemadmodum etiam in desertum secesserit a Discipulis suis, quo eum sunt consecuti, et invenerunt eum : secedens autem ibi orabat, et dictum est a Discipulis qui eum invenerunt : « Quærent te homines : At ille respondit : Eamus et in » alia loca atque castella prædicare : ad hoc enim veni⁵. » Si Divinitatem Domini nostri Jesu Christi consideres, quis

¹ I Cor. xv, 28. — ² Sermo ad populum. — ³ Psal. xxix, 1. — ⁴ Ephes. vi, 12. — ⁵ Marc. 1, 35-38.

orat? Ad quem orat? Quare orat? Orat Deus? Orat ad æqualem? Causam autem orandi quam habet, semper beatus, semper omnipotens, semper incommutabilis, æternus, et Patri coæternus? Intuentes ergo quod per Joannem, quasi per quamdam nubem suam, ipse intonuit, dicens: « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud » Deum: omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil: quod factum est in illo vita est, et vita erat » lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam » non comprehenderunt¹. » Huc usque dicentes, non invenimus orationem, nec causam orandi, nec locum orandi, nec affectum orandi. Sed quoniam paulo post dicit: « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis²: » habes majestatem ad quam ores, habes humanitatem quæ pro te oret. Nam hoc dictum est ab Apostolo, etiam post resurrectionem Domini nostri Jesu Christi: « Qui sedet, » inquit ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis³. » Quare interpellat pro nobis? Quia mediator esse dignatus est. Quid est mediatorem esse inter Deum et homines? Non inter Patrem et homines, sed inter Deum et homines⁴. Quid Deus? Pater et Filius et Spiritus sanctus. Quid sunt homines? Peccatores, impii, mortales. Inter illam Trinitatem et hominum infirmitatem et iniquitatem, mediator factus est homo, non iniquus, sed tamen infirmus; ut ex eo quod non iniquus, jungeret te Deo, ex eo quod infirmus, propinquaret tibi: atque ita, ut inter hominem et Deum mediator existeret, Verbum caro factum est, id est, Verbum homo factum est. Nomine enim carnis appellati sunt homines. Inde est: « Et videbit omnis caro » salutare Dei⁵. » Omnis caro dictum est, omnes homines.

¹ Joan. 1, 1-5. — ² Ibid. 14. — ³ Rom. VIII, 34. — ⁴ 1 Tim. II, 5. — ⁵ Luc. III, 6.

Et Apostolus: « Non est nobis colluctatio adversus carnem » et sanguinem, (id est, adversus homines,) sed adversus » principes et potestates et rectores mundi, tenebrarum » harum¹: » de quibus in consequentibus, si Dominus adjuverit, loquemur. Pertinet enim ista distinctio ad expositionem Psalmi, quem in nomine Domini suscepimus enodare Sanctitati Vestræ. Tamen ad hoc dixi hæc exempla, ut noveritis carnem appellatos esse homines, ut quod dictum est: « Et Verbum caro factum est, » intelligatis dictum, « Et Verbum homo factum est. »

II. Neque sine causa hoc dixi. Noverit Sanctitas Vestra fuisse quamdam hæresim, vel adhuc fortassis haberi reliquias quorundam qui dicti sunt Apollinaristæ. Aliqui enim ipsorum dixerunt hominem, quem suscepit Sapientia Dei, (et in quo expressit personam suam, non sicut in cæteris hominibus, sed sicut dictum est in Psalmo: « Unxit » te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus » tuis², » id est, amplius quam participes tuos: ne putetur sic unctus Christus quomodo cæteri homines, quomodo cæteri justii, quomodo Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, et Martyres, et quidquid magnum est in genere humano. Quandoquidem nihil majus extitit in genere humano quam Joannes Baptista, nec in natis mulierum exurrexit³. Si quæris excellentiam hominis, Joannes Baptista est. Cui autem Joannes se dicit non esse dignum corrigiam calceamenti solvere⁴, quid erat ille nisi amplius quam cæteri homines? Etiam in ipso homine amplius quam cæteri homines. Nam secundum Deum, et secundum divinitatem, et secundum id quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, super omnem creaturam æqualis est Patri: sed agimus de homine. Forte putet quispiam vestrum, fratres, quia homo

¹ Ephes. VI, 12. — ² Psal. XLIV, 8. — ³ Matth. XI, 11. — ⁴ Marc. I, 7.

ille susceptus a Sapientia Dei, æqualis erat cæteris hominibus. Si in tuis membris multum distat inter caput et cætera membra : certe omnia membra faciunt corpus unum, multum tamen interest inter caput et cætera membra. Etenim in cæteris membris non sentis nisi tactu; tangendo sentis in cæteris membris : in capite autem et vides, et audis, et olfacis, et gustas, et tangis. Si tanta excellentia est capitis ad membra cætera, quanta excellentia est capitis universæ Ecclesiæ, id est, illius hominis, quem voluit Deus mediatorem esse inter Deum et homines?) Ergo illi hæretici dixerunt hominem illum, quem suscepit Verbum, cum Verbum caro factum est, non habuisse mentem humanam, sed tantum animam sine intelligentia humana fuisse. Homo enim videtis unde constat : ex anima et corpore. Sed ipsa anima humana habet aliquid, quod non habent animæ pecorum. Nam et pecora animam habent, et animalia vocantur : non enim vocarentur animalia nisi ab anima : et videmus quia et ipsa vivunt. Sed quid habet amplius homo, unde factus est ad imaginem Dei¹? Quia intelligit et sapit, quia discernit bonum a malo : in hoc factus est ad imaginem et similitudinem Dei. Habet ergo aliquid quod non habent pecora. Et quia contemnit in se quo melior est pecoribus; perimit in se vel deterit, et quodam modo obsolefacit imaginem Dei, ut dicatur talibus : « Nolite esse sicut equus » et mulus, quibus non est intellectus². » Illi igitur hæretici dixerunt Dominum nostrum Jesum Christum non habuisse mentem humanam, et illud quod λογικόν Græci dicunt, nos dicimus rationale, unde homo ratiocinatur, quod non habent cætera animalia. Sed quid dicunt? Ipsum Verbum Dei, hoc erat in illo homine pro mente. Exclusi sunt isti, respuit illos catholica fides, et hæresim

¹ Gen. 1, 26. — ² Psal. xxxi, 9.

fecerunt. Confirmatum est in catholica fide, hominem illum, quem suscepit Sapientia Dei, nihil minus habuisse quam cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ : quantum autem ad excellentiam personæ, aliud quam cæteri homines. Nam cæteri homines possunt dici participes Verbi Dei, habentes Verbum Dei : nullus autem eorum potest dici Verbum Dei ; quod dictus est ille, cum dictum est : « Verbum caro factum est¹. »

III. Non defuerunt etiam alii quidam ex ipso errore venientes, qui non solum mentem dicerent non habuisse illum hominem, mediatorem Christum inter Deum et homines, sed nec animam : sed tantum dixerunt, Verbum et caro erat, et anima ibi non erat humana, mens ibi non erat humana. Hoc dixerunt. Sed quid erat? Verbum et caro. Et istos respuit Ecclesia catholica, et expellit eos ab ovibus, et a simplici et vera fide : et confirmatum est, quemadmodum dixi, hominem illum mediatorem habuisse omnia hominis, præter peccatum. Si enim multa gessit secundum corpus, ex quo intelligamus quia habuit corpus non in mendacio, sed in veritate : ut puta, quomodo intelligimus quia habuit corpus? Ambulavit, sedit, dormivit, comprehensus est, flagellatus est, colaphizatus est, crucifixus est, mortuus est. Tolle corpus, nihil horum fieri potuit. Quomodo ergo ex his indiciis cognoscimus in Evangelio quia verum corpus habuit, sicut et ipse etiam post resurrectionem dixit : « Palpate, et videte, » quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis » habere² : » quomodo ex his rebus, ex his operibus credimus et intelligimus et novimus quia corpus habuit Dominus Jesus, sic et ex quibusdam aliis officiis naturalibus quia habuit animam. Esurire, sitire, animæ sunt ista : tolle animam, corpus hæc exanime non poterit. Sed si

¹ Joan. 1, 14. — ² Luc. xxiv, 39.

falsa dicunt ista fuisse, falsa erunt et illa quæ de corpore creduntur : si autem ex eo verum corpus, quia vera officia corporis ; ex eo vera anima, quia vera officia animæ.

IV. Quid ergo? Quoniam Dominus factus est infirmus propter te, o homo qui audis, non tibi compares Deum. Etenim creatura es, ille creator tuus. Nec illum hominum tibi conferas, quia propter te homo Deus tuus, et Verbum Filius Dei : sed illum hominem tibi præferas, tanquam meditatorem, Deum autem supra omnem creaturam : et sic intelligas, quia qui homo factus est propter te, non incongrue orat pro te. Si ergo non incongrue orat pro te, non incongrue potuit et ista verba dicere propter te : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me. » Sed ista verba, si non intelligamus inimicos, falsa erunt, ipsum Dominum Jesum Christum cogitantes. Quomodo enim verum est, si Christus Dominus loquitur : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me? » Ex persona hominis, ex persona infirmitatis, ex persona carnis, quomodo verum est : quandoquidem jucundati sunt inimici ejus super eum, quando illum crucifixerunt, tenuerunt eum, et flagellaverunt, et colaphizaverunt, dicentes : « Prophetiza nobis, Christe! » Ista jucunditas eorum quasi cogit nos putare falsum esse, quod dictum est : « Nec jucundasti inimicos meos super me. » Deinde cum in cruce penderet, et transibant vel stabant, et attindebant, et caput movebant, et dicebant : « Ecce Filius Dei, alios salvos fecit, se ipsum non potest, » descendat de cruce, et credimus in eum? » dicentes ista nonne jucundabantur super eum? Ubi est ergo ista vox : « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec jucundasti inimicos meos super me? »

V. Fortasse non est ista vox Domini nostri Jesu Christi, sed

¹ Matth. xvi, 66. — ² Id. xxvii, 42.

ipsius hominis, sed universæ Ecclesiæ populi christiani : quia omnis homo in Christo unus homo est, et unitas Christianorum unus homo. Fortasse ipse homo, id est, unitas Christianorum ipsa dicit : « Exaltabo te, Domine, quoniam » suscepisti me : nec jucundasti inimicos meos super me. » Quomodo et hoc verum est de illis? Non sunt comprehensi Apostoli, non sunt cæsi, non sunt flagellati, non sunt occisi, non sunt crucifixi, non sunt incensi vivi, non ad bestias pugnaverunt, quorum memorias celebramus? Quando autem ista illis faciebant homines, nonne jucundabantur super eos? Quomodo ergo potest et populus christianus dicere, « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec » jucundasti inimicos meos super me? »

VI. Intelligemus hoc, si videamus primo titulum Psalmi. Habet enim, « In finem Psalmus Cantici dedicationis domus » ipsi David¹. » In hoc titulo est omnis spes, et universum sacramentum dissolvendæ hujus quæstionis. Dedicabitur domus aliquando, quæ modo fabricatur. Modo enim fabricatur domus, id est, Ecclesia, postea dedicabitur. In dedicatione apparebit gloria populi christiani, quæ modo latet. Sæviant modo inimici, humilient, faciant non quidquid volunt, sed quidquid desuper permittuntur. Non enim quidquid passi ab inimicis fuerimus, inimicis deputandum est, et non Domino Deo nostro. Quandoquidem in ipso suo exemplo mediator demonstravit, quando nobis desuper permittit homines nocere, non voluntatem nocendi desuper dari, sed potestatem. Unusquisque enim malus apud se habet voluntatem nocendi : ut autem possit nocere, non habet in potestate. Ut velit, jam reus est : ut possit, occulta dispensatione providentiæ Dei in alium permittitur ad pœnam, in alium permittitur ad probationem, in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quomodo permissi sunt

¹ Psal. xxix, 1.

Ἀλλόφυλος, id est, alienigenæ capere populum Israël, quia peccaverunt in Deum¹. Ad probationem autem permissus est diabolus in Job : probatus est Job², confusus est diabolus. Ad coronam vero permissi sunt persecutores in Martyres : occisi sunt Martyres, quasi vicisse se arbitrati sunt persecutores : illi in manifesto falso triumpharunt, illi in occulto vere coronati sunt. Ergo in quem permittitur, occultæ dispensationis est providentiæ Dei : ut autem velit nocere, ipsius hominis est ; non enim continuo quem vult occidit.

VII. Itaque ipse Dominus iudex vivorum et mortuorum, stans ante hominem iudicem, præbens nobis humilitatis et patientiæ documentum, non victus, sed militi pugnandi exemplum demonstrans, minanti iudici, tumentis superbia, et dicenti : « Nescis quia potestatem habeo dimittendi » et occidendi te? » abstulit typum infantis, et tanquam reddens exsufflationem qua detumesceret : « Non haberes, » inquit, in me potestatem, nisi data tibi esset desuper³. » Et Job, (nempe diabolus occidit filios ipsius, diabolus tulit omnem substantiam ipsius,) et ille quid? « Dominus dedit, » Dominus abstulit, sicut Domino placuit ita factum est, sit » nomen Domini benedictum⁴. » Non triumphet inimicus, quia ipse fecit : novi ego, inquit, a quo sit permissus : diabolo tribuatur nocendi voluntas, Domino meo probandi potestas. In ipso vulnere corporis accedit uxor relicta, sicut Eva, adjutrix diaboli, non consolatrix mariti ; tentat, et dicit inter multas increpationes : « Dic aliquod verbum in » Deum, et morere⁵. » Et ille Adam in stercore cautior, quam Adam in paradiso. Nam Adam in paradiso consensit mulieri⁶, ut de paradiso emitteretur : Adam in stercore respuit mulierem, ut ad paradysum admitteretur. Quid ergo ille Adam in stercore parturiens immortalitatem intrinse-

¹ Judic. x, 7, et xiii, 1, etc. — ² Job. 1, 12. — ³ Joan. xix, 10, 11. — ⁴ Job. 1, 21. — ⁵ Id. 11, 9. — ⁶ Genes. 3, 4.

cus, vermibus fluescens extrinsecus, quid ait mulieri? « Tanquam una ex insipientibus mulieribus locuta es. Si bona » percepimus de manu Domini, mala non sustinebimus¹? » Iterum et ille manum Domini dixit in se, quod eum diabolus percusserat : quia non attendebat quis percuteret, sed quis permetteret. Namque et ipse diabolus eandem potestatem, quam sibi volebat dari, manum Domini appellavit. Nam objiciens crimen justo viro, cui Dominus perhibebat testimonium, ait Deo : « Numquid gratis Job » colit Dominum? nonne tu vallasti eum ac domum ejus, » universamque substantiam ejus per circuitum? Ope- » ribus manuum ejus benedixisti, et possessio ejus crevit » in terra : tanta bona illi dedisti, propterea te colit, sed » mitte manum tuam, et tange omnia quæ sunt ejus, nisi » in faciem tuam benedixerit tibi². » Quid est, « Mitte » manum tuam ; » cum ipse vellet mittere? Sed quia ipse non posset mittere manum suam, ipsam potestatem quam accepit a Deo, manum Dei appellavit.

VIII. Quid ergo, fratres, quia tanta inimici in Christianos fecerunt, et exultaverunt, et jucundati sunt super eos? Sed quando apparebit, quia non sunt jucundati? Quando illi confundentur, illi exultabunt in adventu Domini Dei nostri, cum venerit ferens in manu retributiones, damnationem impiis, regnum justis, societatem cum diabolo iniquis, societatem cum Christo fidelibus. Quando ergo hoc ostenderit, quando stabunt justis in magna constantia ; de Scripturis dico, recordamini lectionem de libro Sapientiæ. « Tunc stabunt justis in magna constantia adversus eos qui » se angustaverunt : illi autem dicent inter se poenitentes, » et præ angustia spiritus gementes : Quid nobis profuit superbia, et divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt enim omnia illa tanquam umbra³? » Et quid di-

¹ Job. 11, 10. — ² Id. 1, 9-11. — ³ Sap. v, 1 et 8, 9.